serviatis, et ab isto versu, ad hunc primum finem directo
non patiamini vos ullis iniquitate abstrahi, aut in di-
versum agi. Bene ac foeliciter valete, et mei quoque
per occasionem memores estote apud eos, qui in gu-
bernatione praecipui sunt, ut possim eo honorario
tandem potiri, quod illustrissimus Princeps Pater,
filii loco, mihi ultro promisit ac spospondit, de quo
anteà copiosius ad vos scripsi. Data festinanter pridie
nonas Maij, Anno M.D.LXIX.

Paulus Eberus pastor Eccle-
siae Witebergensis.

Inscriptio.

Reverendis ac clarissimis
viris, pietate, eruditione, prudentia
ac candore praestantibus Dominis,
Davidi Voit S. Theologiae et Mat-
thia Stoio, Artis Medicae ac Phi-
losophiae, doctoribus, ac professoribus
in Academia Regiomontana, D. Do-
minis et amicis suis reverenter
colendis.

S. D. 166/

Doleo eos avelli à consensu atque coniunctione nostra
Ecclesias patriae tuae et turbari tranquillitatem ve-
stram artibus Flacianorum. Nos, qui ad ferendas
calumnias obduruimus . . . . . conscientia recte factorum
insanos et mendaces clamores contemnimus, et in silentio
ac certa spe praesenti et auxilii divini facimus opus
nostrum, quâ possumus sedulitate. Si tibi hostes nostri
locum in patria non concesserint, huc te conferas.
Non defuturus est tibi locus apud nos, modò me ma-
ture praemonueris. Metuo et Polonicas actiones
quae eo dirigi videntur, ut accederent regno fata
quae alioquin impendere, imò instare videntur.
Schmidenstedium, qui audio tributum te locum
in Academia vestra tibi commendo. Si quae potes

officiorum genere cum juies. Me prolixiorem esse
non esse sinebant occupationes nuptiarum filiae.
Bene et feliciter vale. 17. Maij 1569.

inscriptio Caspar —

Clarissimo viro D. Doctori
Matthiae Stoio Medico Illu-
strissimi Ducis Borussiae amico
suo tanquam fratri.

Salutem in Christo.

167) Tuas literas, quas ex Polonia te huc missurum pro-
misisti, expectavi avidissime. Quae cum nullae adhuc
adferrentur, et ego te interea domum ex conventu rege-
diisse non male ominarer, volui ad tuas respondere.
Miror, vestrates ita fascinatos esse, ut genus illud
hominum usque adeò ambitiose dominari, et in optimos
quosque pro sua consuetudine debacchari patiantur.
O verè miseram patriam nostram, cui uno capite Hy-
drae amputato, decem renascuntur, et quae, dum ca-
pit vitare Charybdim, in Scyllam incidit; Monstra sunt
vitae naturae, et ad turbas concitandas nata, non
hoc agunt, ut consulatur gloriae Dei, et saluti Eccles-
iarum, sed ut, turgentes zelo ambitionis, et superbiae,
se imperitae plebeculae venditent, et uberrimum quae-
stum aucupentur. Non credis, quam perniciosae
hic nobis cum istis farinae hypocritis, sint contenti-
ones, insinuant se in animos multorum, cum magna
hypocrisi, et, quia pleraque sunt Enthusiastica, quae
profitentur, vulgarem applausum sibi conciliant et
suffragiorum multitudine superiores nos longè
vincunt. Amplissimus Senatus noster omnia agit ~~cunctatione~~
tarditate; Ex illa cunctatione spem
optimam concipimus brevi aliquid futurum esse. Hoc
quicquid est, Ecclesiae non infrugiferum fore